



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Gregorivs Papa XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

los iuris, & facti defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem, tuppemus. Non obstantibus consti-
tutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, et impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae uel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertio decimo Octobris. Milleesimo quingentesimo septuagesimo. Pontificatus nostri anno quinto.
Cesl. Glorierius.

GREGORIVS PAPA XIII.

Decretum S. D. N. D. Gregorij Papae xiiij. De nullitate omnium dispositionum beneficalium, quae sunt personis prohibitis, propter genus, seu haeresim, aut a fide apostasiam, contra sanctiones, statuta, vel priuilegia.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Edita anno Domini 1580.

Fuit publicati & impressum Romae an. 1580 Eymericus in Directorio Inquisit. par. 3. q. 213. & seq.

In ecclesijs, praesertim insignibus, hoc magnopere curandum est, ut Sacerdotes, & personae salubribus earum institutis conuenientes ordinentur, quod quantum in nobis est, enititur, atque eos ab illis repellendos in primis contendimus, qui propter genus, aut haeresim, & a fide apostasiam, sine proprio, siue stirpis, siue cognatorum vitio contaminati, per canonicas sanctiones, aut statuta ab hac sede firmata, aut Apostolica priuilegia praedictis ecclesijs prohibentur. Sed nobis negociorum magnitudine distentis, huius generis nonnulli ad illarum sacerdotia frequenter obrepunt, inter quos quidam existimationis suae prodigi, etsi se ab illis expulsam iri sciant, spe tamen inconcessa praesument, se inde vel permutatione, vel quoquo pacto beneficium, pensionem, aut quid aliud exacturos. Nos malum hoc, quo dictae ecclesiae saepius dinexantur, penitus euellere uolentes, praesentium auctoritate decernimus, omnes, & quascumque Apostolicas, necnon legatorum dictae sedis, & aliorum omnium ab ea facultatem despondendi habentium, ac etiam ordinarias dispositiones dignitatum, praebendarum, beneficiorum, & officiorum eiusmodi ecclesiarum in quascumque personas sic infectas, & per huiusmodi sanctiones, seu statuta, vel priuilegia, ut praesertur, inhabiles, vires & effectum non habere, personaeque huiusmodi illarum prorsus usu & commodo carere, beneficiaque ipsa ut prius vacare, & quae ex illis tempore dispositionis Apostolicae praedictis personis, illi reseruata fuerint vel affecta, sub eadem reseruacione vel affectatione manere, & tam illa quam etiam omnia alia non reseruata neque affecta, de quibus ab ipsa sede, ac legatis & alijs facultatem habentibus praedictis in huiusmodi personas quomodocumque dispositum fuerit, ad nouam Romani Pontificis dispositionem duntaxat pertinere, eaque ab alijs idoneis ab ipsa sede duntaxat, liberè impetrari posse, impetrationes tamen, ac etiam motu proprio concessiones, nisi modus vacationis, necnon casus, ac decretum huiusmodi, non conditionaliter, aut per aequipollens, sed definite, nominatim, ac dispositiue, in illis exprimantur, omnino non valere. Ab ordinarijs vero, (cessantibus reseruacionibus vel affectationibus Apostolicis) pro tempore collata, deuolutioni, iuxta Lateranensis statuta concilij subiacere, necnon irritum & inane quicquid secus per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Reseruacionibus Apostolicis fructuum, pensionum, & aliarum rerum huiusmodi beneficiorum, in personas idoneas etiam de huiusmodi contaminatorum consensu factis, eisdemque ab illis interim praestitis, vel solutis nihilominus ualituris. Nemo autem ignoracionem praetextens valeat excusari, cum praedictae prohibitiones satis manifestae sint, & quisque ante petitionem, vel acceptationem beneficiorum huiusmodi num illorum capax sit debeat se probare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere, vel ei casu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Milleesimo quingentesimo octuagesimo, Id. Nouembrijs, Pontificatus nostri anno nono.

M. Datarius.

Cesl. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno a Natiuitate Domini M. D. LXXX. Indiellone octaua, die decimo octaua mensis Nouembrijs, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papae xiiij. Anno nono, Retroscriptae litterae Apostolicae, affixae & publicatae fuerunt in Valuis Ecclesiae S. Iohannis Lateranensis, Basilicae principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariae Apostolicae & in Acie Campi Florae, per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum, Apostolicos Cursores.

Alexander Parabiacus Magister Cursorum.

GRE.